Dyplom założenia Uniwersytetu w Krakowie - Tekst łaciński

In nomine Domini Amen.

Ea, que ex regalis magnificencie beneplacito, eximium, nimirum deuocione et fidei puritate, ad profectum subditorum et salutem humane condicionis, pijs et generosis affectibus ordinantur, abhibicionem fidei conquirant, et gaudeant maiori fulcimine firmitatis; quia nichil valet quod statuitur, nisi statuta ex ampliori diligencia obseruentur. Proinde Nos Kazimirus dei gracia Rex Polonie, ac terrarum Cracouie, Sandomirie, Syradie, Lancicie, Cuyauie, Pomoranie, Russieque dominus et heres, cupientes feruenti desiderio, veluti, ex debito tenemur, vt res vtilis omnisque prosperitas humane condicionis dilatetur, meliora prospicientes, nec ea dubitantes, clericis et subditis regni nostri profutura, in Cracouia ciuitate nostra, locum, vbi studium vigeat generale in qualibet licita facultate, nominandum, eligendum, constituendum et ordinandum duximus, et inantea futuris perpetuis temporibus esse volumus in hys scriptis. Sitque ibi scienciarum preualencium margarita, vt viros producat consilij maturitate conspicuos, virtutum ornatibus redimitos, ac diuersarum facultatum eruditos; fiatque ibi fons doctrinarum irriguus, de cuius plenitudine hauriant vniuersi literalibus cupientes inbui documentis. Ad quam, scilicet Cracouiam, uniuersi, non solum Regni nostri et regionum circumiacencium incole, sed alij ex diuersis mundi partibus, libere et secure confluant ciuitatem, preclaram huiusmodi sciencie margaritam asequi affectantes. Quibus omnibus et singulis subscriptos articulos in presenti cirographo contentos, promittimus et bona fide spondemus, tenere irrefragabiliter, ac obseruare, videlicet Rectoribus Vniuersitatis, Doctoribus, Magistris, Scolaribus, Scriptoribus, Stacionarijs et Bedellis, ac eorum familiaribus quibuscunque, qui se gracia studij, in ciuitatem predictam transtulerint, et ibidem moram traxerint, eisdem esse volumus dominus graciosus, ipsosque et eorum quemlibet in suis juribus, priuilegijs, libertatibus, et statutis, et consuetudinibus omnibus alijs, que in studijs generalibus, videlicet Bononiensi et Padwano, tenentur et obseruantur, conseruare, defensare ac tueri.

Et primo, quod venientes ad studium, sive ab inde redduentes (sic), in omnibus et singulis passibus, pontibus, castris et custodijs, per totum Regnum nostrum constitutis, nullum soluere debeant passagium, pedagium, seu theloneum siue conductum; sed in hys omnibus, cum rebus eorum, scilicet equis, libris, vestimentis, lectisterniis, pecunijs, et suppellectilibus domus, liberi transire debeant et securi. Eciam, si alicui Scolarium, sui parentes vel amici, prouisionem facere voluerint, in esculentis et poculentis qualibuscunque, illa libere transire valeant in ciuitatem predictam Cracouiensem, sine omni thelonei requisicione, neque per carnifices quoquomodo, uel quoslibet alios debeant impediri. Item si aliquis Scolarium, sibi extra terram Cracouiensem, de blado frumenti, farina, braseo, ceruisia (sic) marciali, vino, vel lignis procurauerit prouisionem, hec omnia et singula per aquam seu per terram libere debeant transire, absque solucione thelonei, et decima lignorum: pistores vero panem pistantes Scolaribus, et molendinatores blada ipsorum molentes, non vlterius a Scolaribus presumant exigere, quam ciues predicte ciuitatis eis consueuerunt soluere. Item, quod absit, si Scolarium aliquis vel familiaris eorum, infra limites Regni nostri spoliatus per nostros subditos fuerit, equis, pecunijs, et rebus suis, publice vel oculte, statim, postquam Scolaris de hoc nobis fuerit conquestus, dampnum Scolari tenebimur refundere, et malefactorem querere, et cum eo facere, prout dictauerit ordo iuris. Si per extraneos, et non subditos nostros, idem Scolaris vel suus nuncius infra limites Regni nostri fuerit spoliatus, ad restitucionem dampnorum, modo, quo premittitur, non erimus obligati, sed apud vicinos principes, vbi malefactores predicti morabuntur, pro rehabendis rebus; Scolari volumus fideliter laborare.

Preterea scolas debitas exnunc ordinavimus pro legendo jure canonico, vel ciuili, medicinis, uel artibus liberalibus, hospiciaque competencia deputamus pro Doctoribus, Magistris, Scolaribus, Scriptoribus, Stacionarijs et Bedellis, que hospicia statim taxari decernimus per duos ciues et duos Scolares, eademque taxa nunquam augeatur, in solucione ampliori. Et si forte ipsa hospicia in processu temporis viluerint, domini eorum annis singulis tenebuntur illa sumptibus propriis reformare; alias Scolaris, uel alius predictorum, domum ipsam inhabitans, facta denunciacione prius domino principali de pensione domus, ipsam reformare possit, contradiccione cuiuslibet non obstante. Quod si forte domum ipsam, sic ut premittitur, pro studio deputatam, aliquis inhabitauerit, et Scolaris ipsam habere voluerit pro statuta pensione, statim inquilinus predictus, soluta pensione pro rata temporis, de domo exire tenebitur, et Scolari ipsam libere assignare. Item volumus, ut Scolares proprium.. Rectorem habeant, qui in ciuilibus causis ipsos judicare debeat, habeatque iurisdicionem ordinariam super omnes, qui in ciuitate Cracoviensi causa studij moram traxerint; omnesque predicto·· Rectori jurare obedienciam teneantur, Nec vllus vmquam in eisdem ciuilibus causis, Doctorem, Magistrum, Scolarem, Bedellum, Stacionarium, alibi coram Judice quocunque ecclesiastico uel seculari audeat conuenire, sub poena decem marcarum grossorum Pragensium, quam sic trahens incurrat ipso facto, et fisco Scolarium applicetur. A sentencia autem.. Rectoris predicti, nullus appellare valeat vel supplicare, aut restitucionem in integrum petere; et si appellatum fuerit, appellacio ipsius non recipiatur, nec appellans audiatur per aliquem Judicem ecclesiasticum uel secularem; sed Rectoris sentencia in suis clausulis firmiter obseruetur. Verumtamen, si de nullitate uel iniusticia forsitan argueretur, eadem sentencia per.. Consiliaros Vniversitatis, de ipsius viribus et iusticia cognoscatur.

Insuper.. Rector predictus, Scolares suos in causis criminalibus leuibus, veluti pro verberali (sic) iniuria, uel si Scolaris causa studij in ciuitate Cracouiensi moram trahens, aliquem capillando, uel offendendo, palma uel pugno ad effusionem sanguinis leserit, habeat iudicare, nec ob hoc Scolares ipsi, vel corum serui, aut famuli, ad extranea iudicia pertrahantur. Quod si, quod absit, Scolaris vel alius predictorum, in furto, adulterio, siue stupro, homicidio, aut aliquo crimine capitali, notorie fuerit deprehensus, illorum cognicio ad Rectorem non pertineat, sed statim, si clericus fuerit, ad Episcopale iudicium remittatur, si vero laycus, nostro iudicio subiacebit. Si vero Scolaris laycus, Bedellus, Stacionarius, aut ipsorum familiaris de crimine homicidij, adulterij, membrorum mutilacione, aut letali wlnere, vel quocunque nephario excessu fuerit accusatus, extunc, non secundum consuetudines patrie, uel statuta, sed iuxta Leges, per nos aut Judicem deputatum, accusatus debebit iudicari: quinymmo, per bonorum hominum attestaciones, ad expurgacionem illati criminis admittatur. Item, quod si pro quocunque crimine, magno siue paruo, aut excessu quolibet, Scolaris ipse, uel quiuis predictorum fuerit inculpatus, nullus ipsum capere uel detinere presumat, nisi cum Rectoris familia, et ipsius licencia uel requisicione speciali: et hoc, ne unius criminosi pretextu, res innocentum turpiter rapiantur. Item, si Rector contra aliquem de sua iurisdicione iuste procedens, et secundum formam Statutorum suorum, ipsum studio et ipsius comodo priuauerit, ad requisicionem Rectoris, talis priuatus de ciuitate utraque, Cracouiensi, vel Kazimirensi, per Aduocatos et Ciues protinus expellatur; nullusque talem in suo hospicio audeat colligere, uel sibi quidquam vendere, donare, vel acomodare esulentum (sic) uel poculentum presumat: sed si Scolaris, uel alius de premissis, sentencie uel mandato Rectoris non paruerit cum effectu, Rectorique suo fuerit rebellis, ad requisicionem Rectoris, teneantur Aduocati ciuitatis vtriusque suam familiam mittere, ad dicti rebellis pertinaciam compescendam.

Item, exnunc sallariamus Sedes infra scriptas, videlicet Sedem Decretorum, de quadraginta marcis argenti annuatim; Sedem Decretalium, de totidem; Sedem Sexti, Clementinarum, de XX marcis. Item prouiderimus (sic) legenti Legum Codicem, de XL marcis argenti; legenti Inforciatum, de totidem; et legenti Volumen, de XX marcis, pro anno sequenti. Similiter, iuxta consuetudinem studij legalis, legentibus Digestum vetus et nowm, cuilibet ipsorum de XL marcis prouiderimus (sic); duobus vero Magistris legentibus Phisicam, ordinamus sallarium XX marcarum cuilibet annuatim. Et Magistro in Artibus, damus scolam Beate Virginis, et decem marcas redditus apponemus eidem. Ae Rectori Vniuersitatis, pro suis laboribus, prouidebimus de sallario decem marcarum, prout in alijs studijs est consuetum. Quequidam (sic) sallaria, exnunc in nostra Zuppa salis in Weliczca deputamus; ita, quod noster Zupparius, Doctoribus et Magistris legentibus, in Quatuortemporibus predicta sallaria in Cracouia presentare teneatur. Item ordinabimus predictis predictis (sic) Scolaribus, vnum Campsorem vel Judeum in ciuitate Cracouiensi, qui habeat sufficientem pecuniam, ad mutuandum in necessitatibus Scolarium, super bonis pignoribus, nec vitra pro seruicio suo exigat, nisi vnum grossum de marca qualibet infra mensem. Item, Doctores et Magistri, ad sedes sallariatas predictas eligantur per Scolares illius facultatis, in qua Doctor vel Magister fuerit assvmendus; et si forte Scolares in eligendo discordes fuerint, is electus sit, qui a maiori parte fuerit nominatus: qui nobis, si presentes fuerimus, alias nostro Commissario, quem super hoc statuemus, presentetur, et electus per nos uel per eum, remaneat in lectura.

Item nullus vnquam uel Doctor aut Magister in Rectorem possit eligi, nec eciam Scolaris existens Rector, ad priuatum examen cuiuslibet facultatis, tempore sui Rectoratus, aliqualiter admittatur. Statuimus eciam, vt quociescunque aliquos Scolares in qualibet facultate per Doctores seu Magistros, ad priuatum examen more consueto poni contingerit, super illos Cancellarius noster Cracouiensis, qui pro tempore fuerit, tamquam suppremus, approbandi huiusinodi examen omnimodam habeat potestatem. Item pro habendo exercicio, Scolaribus studij, dominus. Episcopus Cracouiensis Officialem suum in ipsa ciutate Cracouiensi locare debeat, prout est locatus, vt de leceionibus Scolares ad practicam transeant, et sumant audaciam allegandi. Vt autem omnia et singula superius expressa, robur optineant perpetue firmitatis, presens priuilegium scribi iussimus, nostri sigilli munimine roboratum. Actum Cracouie, in die Penthecosthem, Anno domini Millesimo Trecentesimo Sexagesimo Quarto. Presenti- bus, Andrea Cracouiensi, Johanne Sandomiriensi, Palatinis, Wilczcone Sandomiriensi, Dobeslao Wysliciensi, Petro Woynicensi, Castellanis, Floriano Cancellario Lanciciensi, et alijs multis nobilibus fidedignis. Datum per manus venerabilis viri, dominj Johannis Decani et Cancellarij nostri Cracoviensis, Doctoris Decretorum. Scriptum autem per Jacobum de Ossowa, Notarium Curie nostre Regalis. Kazimierza Wielkiego list założenia i urządzenia Uniwersytetu Krakowskiego z roku 1364, w: „Starodawne prawa polskiego pomniki”, wyd. A. Z. Helcel, t. 1, Warszawa 1856, s. 213-216.